NOVAM

LOCI I. SAMVEL. VI. 19. IN

RATIONE

INTELLIGENTIVM IVDICI

ET

VITA

VIRORVM DOCTIS

QVIBVS

SVMMI IN PHILOSOPH

D. XXIX. APRILIS CIↃI

TRIBVTI SVN

ENARRAT

CONRADVS GOTTLOB

LINGV. ORIENT. PROF.

VITEBERGAE

LIBERIS CAROLI CHRISTIA

CIↃIↃCCLXXX.

AM

19. INTERPRETANDI

ONEM

IVDICIO PROPONIT

T

AS

CTISSIMORVM

IBVS

SOPHIA HONORES

LIS CIϽIϽCCLXXX

I SVNT

RRAT

TLOB ANTONIVS

T. PROF. ORD.

ERGAE

CHRISTIANI DÜRRII

CCLXXX.

NOVAM

LOCI I. SAMVEL VI. 19. INTERPRETANDI

RATIONEM

INTELLIGENTIVM IVDICIO PROPONIT

ET

VITAS

VIRORVM DOCTISSIMORVM

QVIBVS

SVMMI IN PHILOSOPHIA HONORES

D. XXIX. APRILIS CIↃIↃCCLXXX

TRIBVTI SVNT

ENARRAT

CONRADVS GOTTLOB ANTONIVS

LINGG. ORIENTT. PROF. ORD.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DVRRII

CIↃIↃCCLXXX

LOCI 1. *SAM. VI.* 19. *INTERPRETATIO.*

Huius quidem loci tot et tantae sunt difficultates, vt, quamuis in iis minuendis doctissimi quique interpretes et maiorum et nostra inprimis aetate laborauerint, nemo fere intelligens arbitretur, eas plane esse sublatas. Neque ego is sum, qui iis penitus liberari posse existimem hunc locum ea, quae nuper mihi in mentem venit, interpretatione. Digna tamen mihi visa est, quam per hanc occasionem examinandam proponerem viris doctis, praesertim cum et probabilitatis et nouitatis commendationem haberet. Quo facilius vero lectores vno quasi intuitu perspiciant, in quibus rebus mea huius loci explicatio cum eius interpretationibus, hucusque propositis, conueniat, in quibus ab iis differat, paucis repetam praecipuas, quibus ei succurrere conati sunt interpretes, rationes. Est vero earum duplex genus, quarum prius in verbis tex-

tus corrigendis, posterius in iis vario modo explicandis versatur. Qui, ipsa verba vitio aliquo laborare, existimarunt, eorum alii, auctore *Syro* et *Arabe*, pro חמשים legendo חמש vel חמשת, vt habet Cod. Mſ. quidam, alii cum *Clerico* מ ante חמשים ponendo, alii cum *Hassenkampio* חמשי מאלף, aut cum *Happachio* חֲמִשִּׁים substituendo, alii cum *Kennicotto* numero maiore plane delendo auctoritate trium Codd. alii cum *Tychsenio* et *Husnagelio* eodem numero in marginem reiiciendo, alii cum *Tremellio*, Codice vno addicente, בעם in בהם mutando atque hoc pronomine ad *Palaestinos* referendo, alii denique cum *Houbigantio* eodem vocabulo ad חמשים transferendo, medicinam huic loco afferre conati sunt. Qui autem, mera interpretatione ei posse succurri, putarunt, eorum quidam cum *Abarbanele* ב ante אנשי *una cum* interpretandum, alii *cum De-Rossi* כ ante חֲמִשִּׁים, aut cum *Bocharto* מ ante אֶלֶף intelligendum, alii cum *Chaldaeo* numerum minorem ad seniores, maiorem ad totum populum referendum, alii נכה cum *Bohnio morbo afficere* reddendum existimarunt, denique *Anonymus* quidam in *repertor. bibl. et lit. orient.* P. II. Sect. 5. opinatus est, quosdam *Bethsamitas*, quinquaginta vero millia et septuaginta ex vniuerso populo peste, diuinitus immissa, aut alia vi subito illata, periisse dici. Mihi quidem, omnes has opiniones examinanti, maxime arrisit *Houbigantii* emendatio, qua admissa, septuaginta quidem *Bethsamitae*, quinquaginta vero millia omnium *Israelitarum* interemti narrantur. Cum autem eiusmodi transpositio, cuius nullum vestigium neque in Cod. aliquo, neque in Verss. antiquis apparet, paullo audacior mihi videretur, circumspexi, an possit numerus minor ad *Bethsamitas*,

tas, maior ad vniuersum populum referri, salua textus *Massorethici* lectione. Atque tum quidem mihi, vt fit, vltro succurrit id, quod *Lowthius de sacra poesi Hebraeorum Praelect.* 19. p. 378. *Ed. Goetting.* obseruauit, *vno interdum membro coniungi ea, quae ad membra superiora diuisim sint referenda.* Affert vir doctus locum luculentum ex Ps. 113, 5. 6.

Qui altissime habitat,
Humillime respicit,
In coelis — in terra.

Etenim *in coelis* ad *habitat*, *in terra* ad *respicit* pertinere, apparet; idque obseruauit *Castellio* et alii.

Partes, eodem modo inter se contrapositas, detexit *Lowthus* Cant. Cant. 1, 5.

Nigra sum quidem — at pulchra, o Hierosolymitides,
Sicut tentoria Kedarensium (scil. nigra;)
Vt aulaea Salomonis (scil. pulchra.)

Eadem ratione loco nostro potest succurri:

Interfecit ex Bethsamitis, qui arcam Iehouae sacram laeti viderant, —
Interfecit ex populo —
Septuaginta homines (scil. ex Bethsamitis;)
Quinquaginta millia hominum (scil. ex vniuerso populo.)

Haec quidem interpretatio ipsius *Iosephi* testimonio videtur confirmari. Ille enim *Ant.* VI, 1, 4. *septuaginta Bethsamitas fulmine interemtos* dicit; adeoque vel numerum maiorem non reperit in Cod. *hebr.* quod non est verisimile, quia eum expres-

ferunt omnes interpretes antiqui, vel eandem, quam nos, rationem est secutus, quod est multo probabilius. Atque ea adeo adiuuatur ipsa verborum structura. Primo enim, quia vtrumque membrum ab eodem verbo ויך orditur, in priore tamen *incolae Bethsamae*, in posteriore *populus* commemoratur, perspicuum est, idem quidem dici, sed non de iisdem; latius enim patet nomen posterius. Deinde non coniungendum esse vtrumque numerum, copula, ante חמשים neglecta, indicat, et vocabulum איש, vtrique subiectum. Denique cum et ante אנשי et ante עם positum sit ב, numerus vero vterque, praepositione destitutus, accusatiuo exprimendo aptus, sequatur, ad alterutrum vocabulum, per ב constructum, alteruter accusatiuus commode refertur. *Interemit ex Bethsamitis septuaginta, ex populo vniuerso quinquaginta millia.* Cum enim נכה sequitur vocabulum, cui ב praefixum est; quodque excipit aliud vocabulum, quod accusatiui vices sustinere potest, in priore vocabulo sententia non absoluitur. Cf. C. 4, 2. Ergo hoc loco merae concinnitatis caussa duo in quatuor membra sunt distracta:

Interemit ex Bethsamae ciuibus, adspectu arcae, deo sacrae, gauisis, —

Interemit ex toto populo —

Septuaginta homines —

Quinquaginta millia hominum.

At fortasse aliquis dixerit, hanc membrorum concinnitatem carmini quidem, sed non huic loco posse concedi. Neque equidem nego, eam in oratione prosaica esse inauditam; sed inde

inde colligo, hos esse veros versus. Eos vero mediae narrationi insertos, nemo mirabitur, qui idem factum, Gen. 4, 23 et Num. 21, 14. cognouerit, commemorato etiam in loco posteriore versuum ibi allatorum fonte. Neque est, quod quis obiiciat, genus dicendi, hoc loco vsurpatum, non satis esse poeticum. Nam in carmine historico, praesertim tam paruo, nihil requiri, nisi concinnitatem, ex versibus, quos 1 *Sam.* 18, 7. mulieres, *Saulum* et *Dauidem* solenni cantu celebrantes, canebant, intelligitur. Atque adeo, si v. 18. pro אבל legeretur אבן, vt per auctoritatem LXX, *Chald.* et trium *Codd.* MSS. atque *versu* 14 collato, legendum esse, vix dubitari potest, et si praeterea עד, auctore *Hassencampio*, *testis* vel *testimonium* verteretur, vt sensus hic prodiret: *testis huius rei est etiam nunc lapis magnus*: caussa simplicissimae orationis, in his versibus vsurpatae, intelligeretur haec: quod lapidi illi inscribendi erant. Sed huic coniecturae non multum tribuo, quia עד hoc loco a nullo interprete antiquo *testis* redditur. Hos autem veros esse versus, siue ex lapidis titulo, siue, quod ויך indicare videtur, ex longiore carmine decerptos, certum est ex parallelismo membrorum; idque confirmatur etiam eo, quod, si ad eam metri rationem, cuius leges, ex *Psalmis* ductas, in *disp. de metro Hebraeorum* proposui, et nuper in *specimine Editionis Psalmorum* paucis repetii, hi versus describantur, prodit *stropha*, cuius versus primus vltimo, secundus penultimo apte respondet, vno versu breuiore his versibus cincto.

וַיַּךְ בְּאַנְשֵׁי בֵית־שֶׁמֶשׁ כִּי רָאוּ בַּאֲרוֹן יְהוָה
וַיַּךְ בָּעָם
שִׁבְעִים אִישׁ
חֲמִשִּׁים אֶלֶף אִישׁ
וַיִּתְאַבְּלוּ הָעָם כִּי־הִכָּה יְהוָה בָּעָם מַכָּה גְדוֹלָה׃

Pauca de totius ſtrophae ſenſu addenda videntur. כי h. l. vt alibi, *quanquam* et ראה ſequente ב *delectari adſpectu*, ſignificare, adeoque ad illud reſpici, quod v. 13 ſeqq. narratur, cum *Anonymo repert. l. c.* ſumo. Cum eodem cauſſam, cur quidam *Bethſamitae* ſubita morte perierint, in idololatriae ſtudio et prauis moribus, quorum mentio et in Capp. ſuperioribus et in C. ſeqq. iniicitur, poſitam exiſtimo. At vero ne cui mirum videatur, *Bethſamitarum*, qui laetati erant aſpectu arcae dei reductae, quoſdam eſſe occiſos vel morbo, vel quod mauult *Ioſephus* fulmine, poeta commemorat, eorum etiam, qui laeta acclamatione ſalutauerant arcam ſacram, ad exercitum deportatam, periiſſe longe maiorem numerum, ſcilicet *quinquaginta millia.* Iam dicuntur quidem C. 4, 2. tantum *triginta millia peditum*, cecidiſſe in vltimo praelio, ſed ſi addideris eos milites, qui per velitationes aut per morbos in caſtris perierant, poetam non vſum eſſe hyperbole, ſed numero certo concedes.

Haec ſiue iis, quorum cauſſa hunc libellum ſcripſi, praebuerint loci huius difficillimi explicationem probabiliorem, ſiue materiam, meliorem eius interpretandi rationem excogitandi, operae pretium me feciſſe, arbitrabor.

CHRISTIANVS GODOFREDVS ANGER.

Hanc lucem adspexit Chemnitii MDCCXLV, per patrem Salomonem Christianum, bibliopegum et matrem Mariam Rosinam Wagneram, parentes probos, qui, quoad vixerunt, in eo educando atque adiuuando neque curae neque sumtibus pepercerunt. Ipse vero iam inde a prima pueritia librorum legendorum cupidus, eorum auctoritate literis vitam destinauerat; neque eum ab hoc consilio auocauit oculorum morbus diuturnus, deo iuuante tandem superatus. Itaque in Lyceum vrbis patriae deductus, vsus est disciplina Hageri, rectoris Iüngeri, qui nunc praeest scholae Fribergensi, Frankii et Hofmanni sibi fructuosissima. Anno LXV ciuibus Vniuersitatis literarum Lipsiensis adscriptus a Plazio, non multo post adiit Academiam, beneficio Trilleri nostri, cuius liberalitatem gratus praedicat, conuictum publicum, atque hospitium in Collegio Paullino nactus. Hic omnes philosophiae atque theologiae disciplinas e b. Crusii et Hebenstreitii institutione hausit; quo duce etiam disputandi atque pro concione dicendi periculum fecit; eidem, et b. Stemlero, discipulorum scientiam theologicam explorantibus, assiduus adfuit. Prudentiam pastoralem a b. Barthio accepit. Ernestium, Euangelium Ioannis et epistolas Paullinas explicantem, Burscherum, catholicam, ecclesiasticam et sacrorum instauratorum historiam enarrantem, Dathium, Iesaiam et Psalmos, *Bosseccium*, Ecclesiasten, Seeligium, varios Codicis hebraici libros interpretantes, audiuit. Clodio adsedit, poetas latinos enucleanti, b. Gellerto, de puerorum educatione praecipienti, morumque doctrinam exemplis illustranti. Vti vero horum praeceptorum omnium, ita Hebenstreitii, cuius etiam ex colloquiis se multum profecisse, fatetur, fidem et diligentiam magnopere celebrat. Anno LXX, b. Hagendornio, Viro Generosissimo et Celeberrimo, commendante, solemni examine feliciter superato Reu. Ministerii Candidatis adscriptus, non multo post opera amici intimi, Caspari, A. M. et Diaconi Ricobacensis, Iesünitium, qui est vicus prope Plauiam, in domum Generosissimi Watzdorfii accitus filii regundi et studiis academicis praeparandi caussa, per quatuor annos amplius liberalissime est habitus. Denique cum Dresdam reuersus, per semestre et liberis parentum honestorum in-

 stituendis

ſtituendis et orationibus pro ſuggeſtu habendis ſatis exercitatus eſſet, Generoſiſſimo Bunauio, aliisque fautoribus adiuuantibus, muneri Archidiaconi apud Elſterbergenſes in Variſcis anno LXXVI eſt praefectus. In quo adeundo atque laudabiliter adminiſtrando poſteaquam ſatis illuſtria virtutis et eruditionis egregiae documenta edidit, ſummis in philoſophia et artibus honoribus, ex decreto Ordinis mei, eo lubentius a me exornatus eſt, quo certius mihi, qui per multos annos teſtis et ſpectator indefeſſi, quo literis Lipſiae operam dedit, ſtudii fueram, de ipſius dignitate perſuaſum erat.

IOANNES GEORGIVS EHRHARDT.

Honeſto loco natus Neodorfii in Variſcis anno ſeculi huius XLII, patrem habet Ioannem Georgium, vici iſtius incolam, matrem Annam Mariam Schneideram, quorum diligentiam in animo ipſius vera pietate imbuendo gratus agnoſcit. Inde a quinto vſque ad duodecimum aetatis annum in ludo patrio a Strasbergio rudimenta religionis Chriſtianae, calligraphiae et arithmeticae didicit. Deinde beneficiis hominum liberalium, quorum numquam immemor erit, adiutus, in Lyceo Plauienſi iis, quibus iuuenilis aetas impertiri debet, literis operam dedit, Wendlero, Grimmelio, Roſtio et Irmiſchio ipſi praeeuntibus, quibus omnibus, ſe multum debere, profitetur. Anno LXIII Lipſiae nomen ſuum inter ciues academicos profeſſus eſt, rectore b. Winklero; quem etiam ducem ſibi delegit in philoſophiae ambitu emetiendo. In cognoſcenda hiſtoria philoſophica Burſcherum, in catholica et ſacra Erneſtium habuit doctorem, eundem, theologiam dogmaticam, et artem literas ſacras interpretandi docentem, librosque N. T. explicantem, diligenter audiuit; vaticinia autem intelligendi facultatem et morum doctrinam, qua literis ſacris continetur, ait ſe b. Cruſio debere. In arte dicendi b. Gottſchedium ſecutus eſt. Literaturae hebraicae cognoſcendae gratia Fiſchero et Boſſeccio, theologiae paſtoralis et ſymbolicae cauſſa b. Stemlero et Scharfio operam dedit. Ex horum Virorum ſummorum doctrina cum per triennium amplius profeciſſet, in patriam reuerſus, in domo Adleria liberis inſtituendis operam dedit et liberaliter habitus eſt; nec multo poſt egregio

egregio Stranzii, D. et summi sacrorum in Dioecesi Plauiensi antistitis fauore munus ecclesiasticum et scholasticum apud Droedenses ipsi mandatum est, cui cum per septem annos praefuisset, praeter omnem spem et opinionem a Generosissima Reizensteinia, ex Thielauiorum gente nobili oriunda, ad sacra apud Posseccienses curanda euocatus est. Atque vti haec diuinae prouidentiae documenta magnopere veneratur, ita iis annumerat etiam matrimonium cum Charlotta Friderica, filia Steinmülleri, Dioeceseos Oelsnitiensis ephori, felicissimo omine initum. Nuper cum perspexissemus praeclara eruditionis specimina, muneris vtriusque aggrediendi et administrandi caussa cum laude ab eo edita, magistri artium dignitate a nobis auctus est.

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS STEINMVLLER.

Oelsnitii ex patre Ioanne Christophoro Friderico, AA. M. Sacrorum praesule et Dioeceseos Oelsnitiensis ephoro, ac matre Ioanna Sophia, Hübschmanni, consulis eiusdem vrbis, filia progenitus hic est anno istius aetatis XLIX. Qui parentes, ipsi carissimi, maximam operam nauarunt, vt inde ab ineunte aetate verae erga deum pietatis sensus imbiberet. Iam puer quinquennis optimorum praeceptorum in schola Oelsnitiensi disciplinae traditus, ea vsus est vsque ad annum aetatis decimum sextum. Postea ipsius patris institutione didicit literas latinas, graecas, hebraicas, historiam, omnisque doctrinae solidioris initia; nec tamen desiit ex Silbermanni, rectoris, scholis priuatis fructus percipere. Anno LXIX in academiam Lipsiensem delatum, Plazius in numerum discentium retulit. Hic in philosophia vniuersa Winklerum, in ethicis Gellertum, in historia et vniuersali et ecclesiastica Ernestium, in disciplinis theologicis eundem et b. Barthium, quorum praesertim in se merita celebrat, denique Richterum et Burscherum sectatus est. In tantorum virorum disciplina cum tres annos amplius exegisset, in vrbem patriam redux, per biennium, quae didicerat, vsu et exercitatione in potestatem redigere conatus est. Sic rite praeparato

ad munus ecclesiasticum contigit, vt ei A. LXXV per dei prouidentiam et viri primarii, quem alterum patrem appellat et veneratur, beneuolentiam insignem sacrorum apud Droedenses cura et puerorum institutio mandaretur. Ante hunc vero annum sacris apud Marienejenses faciundis praefectus est. Vtramque prouinciam tanta cum laude adiit atque sustinuit, vt eius doctrina egregia innotesceret multis; eiusque praemium non vltimum, Magisterii honores, nuper, annuente Ordine meo, ei tribui eo lubentius, quo certius ego, qui eum iam Lipsiae summo cum studio literis incumbentem noueram, eius testimonium exhibere poteram.

IOANNES FRIDERICVS AVGVSTVS HOFFBAVER.

Hunc pater, qui erat quondam summa prouocationum curiae ab epistolis, suscepit Dresdae cIↃↃCCLII e coniuge, ex gente Lipsiensi Kirschia oriunda; quorum parentum in ipso educando diligentiam et curam magnopere praedicat. Ab his primo traditus est magistris priuatis et praeceptoribus scholae Neostadiensis prope Dresdam, nominatim Oellio, nunc defuncto, et Buschmanno; quorum fidei grato animo meminit. Ab his bene praeparatus, inter alumnos scholae prouincialis Misenensis scriptus est anno huius seculi LXVI. Ibi per quinquennium Hoerii, Weissii, Cleemanni, Schregeri et Klimmii, iam denatorum et Mülleri, etiam nunc superstitis, institutione ita vsus est, vt sentiat, quantum iis debeat. Deinde Academiae Lipsiensis ciuibus anno LXXI adiunctus, rectore Plazio, quem valde veneratur, philosophiam a b. Crusio et Garuio, historiam naturalem a Schmiedleinio, Med. D. physicam a Ludwigio, historiam catholicam et ecclesiasticam a Burschero didicit. Disciplinarum theologicarum caussa operam dedit eidem Crusio. Interpretationem Noui Test. eum docuit Ernestius, Codicis hebraici Dathius et Bosseccius, cuius beneficia, vti omnium praeceptorum summa in se merita, grata mente agnoscit. Triennio et semestri hic peracto, Dresdam rediit, et tentamine pro more eius in literis theologicis profectibus, A. LXXV S. Ministerii Candidatis est annume-

numeratus. Ibique cum per biennium et liberis parentum Generosissimorum instituendis, et, tam in scholis Mehneri concionatoriis, quam in templis, pro concione dicendo docendi facultatem et maturitatem sibi comparasset, a Senatu Sanctiore ad munus Pastoris apud Bethauienses et Naundorfienses est euocatus. Atque vti in hac prouincia suscipienda atque administranda plura doctrinae theologicae, ita nobis exhibenda dissertatione *de ratione ad dei voluntatem cognoscendam non sufficiente* eruditionis philosophicae haud vulgaris specimina edidit luculenta; hinc facile obtinuit, vt philosophiae et Artium Magister crearetur.

IMMANVEL GOTTLOB AYRER.

Quartus hic Adami Henrici, A. M. sacrorum olim curatoris apud Neokirchenses prope Chemnitium et Sophiae Reginae, ex gente Garmannorum oriundae, filius, anno huius seculi LI. in lucem editus, eadem, qua fratres, cura educatus est, iisque, quibus aetas puerilis imbui solet, domi eruditus, a. LXIII traditus est Lycei Chemnitiensis praeceptoribus, Hagero, et Iüngero, quorum disciplina septem annos amplius vsus est. Inde venit a. LXXI in Literarum Vniuersitatem Lipsiensem, Plazio eius fasces tenente. Hic philosophiae omniumque disciplinarum theologicarum doctorem sectatus est b. Crusium, quem praeclaris etiam beneficiis de se bene meritum esse, gratus profitetur. Artem tam V. quam N. T. interpretandi ab Ernestio Seniore, Bosseccio, Pezoldo et b. Schmidio didicit. In catholica, ecclesiae et sacrorum instauratorum historia Ernestio et Burschero vsus est praeceptoribus. In scribendo eum exercuit Clodius et Ernestius, Eloqu. Prof. Hac ratione stadium academicum triennio et semestri emensus, Neckenii Equitis cuiusdam filios rexit atque erudiuit. Biennio praeterlapso, in patriam ad tempus reuersus, a. LXXVI Dresdam se contulit; vbi solemni examine rite tentatus, munerum ecclesiasticorum Candidatis adiunctus est. Inde ab eo tempore praeter mortem patris acerbam prospera quaeque ipsi contigerunt, inter alia liberalitas Optimi Viri, Helbigii, qui Duci Curlandiae Serenissimo est ab epistolis, cuius liberis regendis et instituendis praefectus est. Hic cum eruditionis philosophicae, quam nobis

 bis

bis valde probauit commentatione *de felicitate eius, cuius animus non commouetur*, testimonium publicum cuperet, illud ab Ordine nostro consecutus est, summis in Philosophia honoribus ipsi tributis.

IOANNES MICHAEL SCHROEDER.

Patre vtitur Iustino Godofredo, cui eum peperit a. MDCCLX in oppidulo Coburgensi, Themara, mater, cuius mortem praematuram luget. Primis literis imbutus in schola patria a Iochio et Enckio, qui priuatim etiam praeter linguam graecam et latinam eum docuit literas hebraicas, in scholam Sebaldinam, quae Norimbergae floret, deductus, et Munkeri disciplina per annum vsus est. A. LXXVII venit Lipsiam, vbi philosophiae et matheseos caussa itauit ad Seidlitium et Funccium. In Ernestii scholis latina, in Mori graeca, in Dathii hebraica didicit. Burschero, cuius memoriam spondet se nunquam animo dimissurum, adfuit historiam philosophicam et ecclesiasticam tradenti. Disciplinis theologicis vt recte imbueretur, Hebenstreitio, Richtero et Koernero auditor attentus assedit. Ex hac vero Academia per rei familiaris angustiam discedere coactus, Buzouiam concessit, vbi liberis honestorum parentum instituendis operam dat. Nuper incensus generosa cupiditate, literarum studiosis docendo in posterum inseruiendi, ab Ordine nostro petiit Doctoris philosophiae honores, eosque impetrauit, perspecta ex dissertatione *de Vaticinio, Gen. XLIX. 10. de Messia exhibito*, eius doctrina, nominatim interpretandi facultate egregia.

IOANNES SAMVEL VERTRAVGOTT SCHIECK.

Hic patre Ioanne Erdmanno, tum buccinatore in equitatu Saxonico, nunc mercatore, et matre Ioanna Concordia, ex gente Liebschia, iam dudum mortua, natus est Mariaebergae anno seculi huius LVI. Pater atque nouerca, quae plane et amore et diligentia in priuigno educando insigni in matris locum successerat, cuiusque, nuper ipsi ereptae, se semper memorem fore, spondet, curarunt, vt domestica institutione literarum et religionis elementis imbutus,

Lycei

Lycei Mariaebergensis praeceptoribus Manno, Günthero, Rabio, iam defunctis, et Wildfeyero, adhuc superstiti, viris, ipsi non satis laudandis, erudiendus traderetur, atque Baueri, A.M. et Rectoris, et Haasii, Schneebergensium nunc Conrectoris, doctrina vitae academicae praepararetur. Lipsiam se contulit deinceps anno LXXV, a Plazio adscriptus ciuibus Academiae. Praeceptores laudat in vniuersa philosophia Seidlitium, in physicis et mathematicis Ludwigium et Funccium, in historia ecclesiastica Burscherum et Koernerum, in catholica Ernestium D. eundem et Pezoldum in theologia dogmatica et morum doctrina, quae ex libris sacris hauritur. In interpretandis libris latinis et graecis, tam profanis, quam sacris, Morum, Wolfium, Lohdium et Hilscherum, in hebraicis Dathium, Bosseccium et Hempelium duces secutus est. Denique, ex Hebenstreitii et Lohdii exercitationibus disputatoriis et scholis theologicis vberrimum fructum se percepisse, ingenue fatetur. Praeterea cum commentatione *de inopia multa cupientium* studium literarum humaniorum et philosophiae praeclarum Ordini meo probasset, consecutus est praemium doctrinae, summos in philosophia honores.

GEORGIVS TRAVGOTT WAGNER.

Hic quidem Schoenbrunii in Misnia in lucem editus est Anno MDCCLVI, patre Ioanne Georgio, A.M. et sacrorum ibi curatore, adhuc superstite, matre autem Christiana Beata e gente Frankia, ipsi infantulo praematura morte erepta, cuius desiderium ei mitigauit Ioanna Christiana, nata Ridelia, nouerca quidem nomine, sed non re, quae tanta diligentia, benignitate, et amore puerum est amplexa, vt maiorem ab ea, quae natura ipsi mater erat, expectare non potuisset. Pater, quem hoc nomine prae ceteris dignum esse sentit, inde a teneris vnguiculis pueri indagauit animum; quem cum ad disciplinas sanctiores propensissimum intellexisset, statim ad eas aditum ipsi patefecit. Primo quidem curauit, vt in schola patria a Groessellio, patre et filio, prima literarum elementa disceret. Non multo post Zschopauiam missus, nouercae dilectissimae parentibus, quorum curam diligentissimam, in se educando adhibitam, gratus agnoscit, mandatus, Viebigio, Cantore, atque Bayero praeceptori-

bus visus est. Hunc quidem postea domum suam recepit pater, vt ipsum ad maiora studia adduceret. Ab eo igitur per quatuor fere annos cum summa fide institutus, in Lyceum Chemnitiense delatus, profecit ex disciplina magistrorum haud obscuri nominis, Hageri et Rothii, quorum in se collatam industriam et diligentiam laude sua maiorem esse, dicit. Ita praeparatus, anno LXXVI Lipsiam petiit, Belio Academiae praefecto. Hic interfuit scholis dialecticis Ernestii iunioris et Seidlitii, metaphysicis Pezoldi, ethicis et anthropologicis Platneri, mathematicis Borzii, astronomicis Funccii. Antiquitatum Romanarum et archaeologiae litterariae cognitionem debet Ernestio seniori. Operam dedit Moro, Clodio, Hilschero, Reizio, qui etiam disciplina priuatissima eum docuit latinam linguam, auctores graecos et latinos interpretantibus. Historiam vniuersalem ab Hilschero et Wenkio, ecclesiasticam ab eodem, instauratorum sacrorum et philosophicam a Burschero, rerumpublicarum Europae omnium, imperii Romano-Germanici et patriam a Boehmio sibi traditam, meminit. In hebraicis secutus est Dathium, Ecclesiasten, Deuteronomion, libros Iudicum, Ruth et Samuelis, itemque prophetas minores interpretantem, et Koernerum in Psalmos commentantem, in chaldaicis Bosseccium. In religionis capitibus addiscendis pependit ab ore Richteri, Koerneri, Lohdii; morum doctrinam a b. Thalemanno, artem libros sacros interpretandi ab Ernestio D. hausit. Koernero etiam adfuit, Boerneri Isagogen in libros Canonicos, et libros symbolicos enarranti, nec non prudentiam pastoralem exponenti, Breuningio ius canonicum docenti, Pezoldo, Moro, Wolfio, Lohdio libros N. T. explicantibus. Scholis denique examinatoriis Lohdii, disputatoriis Hebenstreitii interfuit. Praeterea ad populum dicendi periculum fecit, duce Wechslero, Panitii sacris faciundis praefecto, cuius etiam colloquia sibi permultum profuisse, gratus recordatur. Hac ratione tribus annis amplius Lipsiae transactis, ab Ordine meo petiit summos in philosophia honores, eosque facile impetrauit, cum vel ex genere scribendi pereleganti eius ingenium atque studium literarum nominatim humaniorum felicissimum eluceret.

IOAN-

IOANNES FRIDERICVS KVEMMEL.

Hunc patri, Carolo Friderico, Sartori, iam defuncto, Seruestae a. MDCCLIII peperit coniux, Ioanna Elisabetha, e gente Canzleria. Primis literarum elementis instructus, venit in scholam Nicolaitanam, quae Lipsiae floret, vbi licuit ei institutione b. Reiskii, b. Adami, Funccii, nunc Physices Professoris, et Hübschmanni per quadriennium frui. Iam a. LXXI in Academiae Lipsiensis album relatus, anno sequente ad scholas academicas ipsas transiit. Ac primum quidem lectiones mathematicas Borzii et Funccii, philosophicas Seidlitii et Crusii frequentauit. Morum audiuit, Liuium, Wolfium, N. T. libros, Thalemannum, Psalmos interpretantem. Theologiam dogmaticam apud Crusium et Ernestium didicit; antiquitates Romanas, historiam catholicam idem, ecclesiasticam Koernerus ei exposuit. Sic quinquennio in Academia exacto, euocatus est Martisburgum in domum Generosissimi Brandensteinii, Fisci Principalis Consiliarii, vt liberis eius erudiendis et regendis praeesset, in qua etiamnunc beneficiis ornatur, quorum memoriam se nunquam esse dimissurum, profitetur. Anno proxime superiore cum huc venisset, Magisterii dignitatem petiturus, mihi, profectus ipsius exploranti, doctrinam, inprimis facultatem libros diuinos interpretandi, haud vulgarem probauit. Hinc ab Ordine meo, vt meruerat, Magister artium est declaratus.

IOANNES CAROLVS LEBRECHT ALBANVS.

Veneratur patrem Christianum Lebrecht, Sacrorum apud Seyffertibaynienses prope Lipsiam curatorem, et matrem Eleonoram Christianam Mülleram, ex qua susceptus est anno huius aetatis LIX, parentes admodum pios. Qui quidem inde a prima pueritia id sedulo egerunt, vt adessent, qui primis ipsum doctrinae christianae elementis, et literis elegantioribus, quae ab humanitate nomen habent, erudirent. Tradiderunt igitur eum primum domesticae curae Hechtii, nunc collegae tertii in Gymnasio Fribergensi, deinde fidei Güntheri, qui iam Radisii prope Kembergam sacris faciundis praeest, tandem Kargii. A. LXXI scholae Grimmensis alumnis

 bene-

beneficio Electoris Serenissimi accensus, ab ore praestantissimorum magistrorum, Krebsii, Mückii, Hofmanni, Reichardi et Richteri per quinquennium pependit. A. LXXVI Lipsiam commigrauit, scriptus inter ciues academicos a Belio. Hic Seidlitium, cuius etiam singularem erga se beneuolentiam gratus praedicat, disciplinas philosophicas exponentem et veritatem religionis Christianae demonstrantem, mirifica cum voluptate audiuit. In historicis secutus est Burscherum, in hebraicis Lohdium, Dathium, Hebenstreitium, cuius in se merita sane non exigua nullam unquam obliuionem deleturam esse, confirmat. Theologiam dogmaticam ab eodem, Koernero et Seidlitio, qui eum etiam morum doctrinam docuit, hermeneuticam a Pezoldo, theologiam symbolicam a Koernero didicit. In interpretandis libris V. et N. T. duces habuit Dathium et Wolfium, sibi amicissimum suaeque salutis studiosissimum. Doctrinae hac ratione sibi comparatae praemium summos in Philosophia honores facile tulit ab Ordine meo, exhibita mihi commentatione, pereleganter scripta, in qua demonstrauit, *non minus peccare, quibus nihil, quam quibus omnia sua placeant.*

AVGVSTVS CHRISTIANVS LVDOVICVS WILLE.

Vicus est in Thüringia, Pleismaria dictus, vbi hic noster Bernhardo Antonio, qui Pleismariensium, Goesnizensium et Schimmeliensium sacra curat, seculi huius anno LVIII natus est ex coniuge Helena Louisa Liebholda, quibus quidem parentibus pro innumeris beneficiis prospera quaeque grato animo apprecatur. Elementa doctrinae sacrae et profanae cum a patre accepisset, Anno LXVIII vsus est gymnasii Gerani doctoribus optimis, Hauptmanno, materterae suae marito, Zeibichio, Heydio, Heinerico, a quo etiam beneficiis est affectus, denique Generosissimo Ponino et Auonio, linguae gallicae magistro. Ab his vt diligenter eruditus, ita a patronis optimis enutritus est. Ex quibus omnium primum merito laudat Comitem Rutheniae Illustrissimum Henricum XXIV, qui beneficio Schusleriano eum adiuuit, deinde Virum in Batauis Illustrissimum, Comitem de Heinschoten, qui multis et magnis beneficiis eum

eum hucusque recreauit; his quidem se per totam vitam obstrictissimum fore, sanctissime spondet. Grato etiam animo praedicat Reinmannum, Consiliarium aulicum, patronum suum, quoad in viuis fuit, insignem, Richteri, Consulis Gerani et Weidlichii, I. V. Doctoris viduas, matronas liberalissimas. Exactis in ista vrbe, cuius memoria ipsi semper erit carissima, septem amplius annis, Lipsiam concessit, Belio rectore. Hic philosophiae curriculum emensus est, praeeunte Pezoldo, cui etiam adsedit, Acta Apostolorum interpretanti, religionis dogmata tradenti eiusque veritatem defendenti, denique profectus commilitonum in theologia et philosophia exploranti. Profecit etiam ex Platneri scholis philosophicis, anthropologicis et lectionibus in medicinam forensem, et ex mathematicis Gehleri iunioris. Historiam philosophiae, sacrorum emendationis et catholicam ex ore Burscheri hausit. In explicandis libris N. T. Morum et Lohdium, in hebraicis Hempelium, Dathium et Koernerum secutus est, a quo etiam, vti a Moro, theologiam dogmaticam, eloquentiam et prudentiam pastoralem, artem libros diuinos interpretandi, historiam ecclesiasticam et introductionem in V. et N. T. denique tot et tanta beneficia accepit, vt eum et praecipuum suum doctorem et alterum fere patrem appellandum existimet. Eiusdem commendatione effectum esse, ait, vt Findeisenius, mercator apud Lipsienses celeber, ipsi instituendam et regendam mandaret filiolam magnae spei, magnaque et innumera beneficia tribueret. Merito etiam celebrat liberalitatem Boehmii, per quam conuictu publico potitus est, et Kappii beneuolentiam, qui maxime suae commendationis auctoritate ipsi Koerneri fauorem conciliauit. Horum patronorum et praeceptorum omnium memoriam se per totam vitam conseruaturum esse, pollicetur. Exacto cursu vitae academicae, magisterii dignitatem ab Ordine meo petiit, atque hoc doctrinae variae, quam nobis probauit, dissertatione *de theologo politico*, testimonium publicum merito obtinuit.

FRIDERICVS ABRAHAMVS SCHVCHARDT.

Istius pater fuit Ioannes Christianus, A. M. cui Leutzschae prope Lipsiam, vbi olim sacra curabat, anno MDCCLVII natus

est,

est, ex vxore Ioanna Christiana Hoernigia. Ab eo primis elementis instructus, adiit Scholam Lipsiensium Thomanam, linguarum et initiorum philosophiae addiscendorum caussa. A Plazio in ciuium academicorum numerum relatus, Seidlitii scholas philosophicas, Hebenstreitii theologicas adiit; etiam Burschero historiae catholicae, ecclesiasticae et sacrorum emendatorum addiscendae gratia adsedit. Moro operam dedit, vt libros N. T. intelligere disceret. Ante hunc annum nostris accensus est, rectore Wernsdorfio, cuius scholis, theologiae dogmaticae et historiae sacrorum emendatorum docendae destinatis, interfuit. Zeunium vero, apocalypsin Iohannis interpretantem, et Titium disciplinas oeconomicas tradentem, audiuit. Subinde studium academicum emensus, honoribus nostris, vt petierat, ornatus est.

CAROLVS AVGVSTVS HENNIG.

Goetteuitii, qui est vicus in Leucopetrae vicinia situs, anno huius aetatis LVI susceptus est a patre Godofredo, lanae mercaturam faciente, ex Ioanna Krausia. Quorum parentum, ipsi carissimorum, egregia cura effectum est, vt primo quidem doctrinae sacrae et profanae elementa ab eo, qui ludo istius loci praeerat, perciperet, deinde ab Landmanno, sacris ibi curandis bene merente, diligentissime erudiretur atque studio liberalium artium, cui vt vitam dicaret, auctor idem ipsi fuerat, praepararetur; cuius quidem beneficii se nunquam immemorem fore, sanctissime pollicetur. Mox in schola Cizensi nactus est magistros eruditissimos, Hentschium, iam rebus humanis ereptum, Milkium, Schregerum, Gelbrichtium, quos omnes, inprimis Milkium, optime de se meritos esse, grati animi sensu plenus, profitetur. Ibi spatio septem annorum expleto, Lipsiam accessit anno LXXV, inter ciues academiae scriptus, rectore Plazio. Vniuersae philosophiae discendae gratia auditor adfuit Pezoldo, Platnero, Borzio ac Seidlitio, qui illi etiam pro sua insigni beneuolentia aditum ad ipsum concessit facilem. Elegantiores literas et artem oratoriam vt cognosceret, adiit Morum et Ernestium. Varias historiae partes didicit a Burschero, Koernero, Schwarzio et Boehmio. Literis hebraicis

braicis operam nauauit, ducibus Dathio, Bosseccio et Hempelio. Criticen V. et N. T. artemque interpretandi ex ore Koerneri ac Mori hausit, praecepta dicendi de suggestu, eorumque vsum et doctrinam morum, quae ex S. S. petitur, a Pezoldo, dogmata religionis ab eodem, Moro, Koernero et Schwarzio accepit, qui ei etiam praeiuit in libris symbolicis intelligendis, et prudentia pastorali cognoscenda; eodem duce vsus est praeter Ernestium et Forbigerum in disputandi facultate sibi comparanda. Atque vti huius viri eruditioni, ita eius beneuolentiae, se innumera debere, gratus profitetur. Tot et tantis doctoribus cum eruditionem sibi conciliasset non contemnendam, perspectam nobis ex testimonio viri fide dignissimi, Magisterii honores, quos petierat, rite consecutus est.

IACOBVS SCHMVHL.

Ortus Cizae anno MDCCLVII, patre Theophilo et matre Maria Rosina Heyniana. Qui parentes, ob singularem in eo educando curam et diligentiam ipsi carissimi, puerum, vt ante omnia initiis religionis christianae aliisque rebus, quibus haec aetas imbui solet, recte instrueretur, tradiderunt curae Schmidii, cantoris apud Predelienses, qui eum etiam linguae latinae et graecae elementa docuit. Deductus est deinde in *scholam Cizensem*, cui tum praeerat Hentschius, literis nimis mature ereptus; ibique per septem annos profecit magistris Thiemio, Gelbrichtio et Schregero, qui eum adeo amauit, vt ipsi suos filios erudiendos crederet, tandemque Milkio, cuius erga se beneuolentiae, et diligentiae in ipsius studiis adiuuandis se semper memorem fore, promittit. Lipsiam profectus et ciuitate academica donatus, rectore Burschero, literis theologicis se dedidit, ita tamen, vt humaniores et philosophicas non negligeret. Nactus igitur est doctores, in philosophia Pezoldum, Platnerum, inprimisque Seidlitium; in Mathesi Gehlerum, in iure naturae Breuningium, in historia catholica Wenkium, in ecclesiastica vero et philosophica, vt et in theologia Patristica Burscherum, cuius erga se fauorem non satis dignis laudibus celebrari posse, arbitratur. Thalemannum, Morum et Wolfium, libros Codicis sacri graecos, Dathium et Bosseccium, hebraicos interpretantes, audiuit.

 Theolo-

Theologiam theticam a Moro et Koernero, ethicam a Lohdio didicit. Denique in arte disputandi Schwarzii praesidio et consilio est vsus, cuius disciplinae, amori, commendationi et liberalitati se tot beneficia debere, fatetur, vt patris loco eum semper sit veneraturus. Praeterea celebrat beneuolum erga se animum Panischii, ciuis boni et probi, qui ipsum liberorum instituendorum caussa domum recepit, multisque rebus adiuuat et exornat. Emenso literarum curriculum Ordo noster magisterii dignitatem lubens et merito contulit, praemium doctrinae egregiae, atque variae, quam nobis dissertatione *de vetustissimo scripturae genere,* eleganter atque subtiliter scripta, satis superque probauit.

IOANNES CAROLVS GOTTLOB WITTICH.

Kirchhayna, in Lusatia inferiore sita, huic patria est. Ibi natus anno CIↃIↃCCLVI, duro admodum pueritiae initio vsus est, destitutus quippe vna cum matre adiumento patris, qui in bello, quod tum gerebatur, scribae militaris nomine stipendia faciebat. Sed mox laetior fortuna affulsit puero, cum amicus quidam illi pro singulari sua liberalitate vitae necessitates praeberet, et patri, non multo post ex bello reduci, ludi magistri munus obtingeret. Tum reuersus in domum patriam, in scholam publicam missus est, vt omnibus, quibus puerilis aetas institui debet, erudiretur literis. Rite praeparatus literarum, quibus vitam suam consecrarat, studiis, LXXI in scholam prouincialem, quae Grimmae floret, commigrauit, vbi et fidem doctorum optimorum et liberalitatem, laude sua maiorem, expertus est. Sexennio integro ibi feliciter peracto, ad nos venit, ciuibus nostris adscriptus, rectore Tittmanno, quem etiam ex doctoribus, quorum institutione hic vsus est, primo loco commemorandum existimat. Etenim vti ex eius doctrina profecit in dogmaticis, exegeticis, ethicis et homileticis, aliisque scholis, ita adeo eximia eius liberalitate recreatus est, vt eam non solum gratissimo animo agnoscat, sed agnitam etiam publice praedicet. Profitetur vero etiam, se multum debere Hillero, a quo philosophiam et theologiam didicit, Dresdio, qui literis hebraicis eum imbuit, denique Schroeckhio, cui notitiam historiae, tam catholicae, quam ecclesiasticae,

ſticae, acceptam refert. Ab Ordine meo cum honores petiiſſet, ad examen admiſſus, in exegeticis, rhetoricis et philoſophicis ita reſpondit, vt iis ſatis dignus iudicaretur. Hinc in ipſa panegyri Magiſtrorum creandorum, ſolemni ceremonia, Doctor philoſophiae eſt creatus.

GVILIELMVS GOTTLIEB GEORGI.

Laubani anno huius ſeculi LV in lucem editus eſt, patre Tobia Gottlieb, textore, iam ante hos XIV annos ipſi acerba morte erepto, matre Maria Sophia, Pfennigia, adhuc ſuperſtite. Annos duodecim natus, traditus eſt Lycei Laubanenſis praeceptoribus, literis et religionis notitia et ſenſu imbuendus. Ex iis nominatim laudat Goebelium, Koſchium, Beckertum, Petri, Gymnaſii Budiſſenſis nunc Cantorem, b. Baudium et Müllerum. Nouem fere annis in hac diſciplina exactis, Lipſiam venit anno LXXVI, vbi fructuoſiſſima inſtitutione celeberrimorum doctorum, nominatim Pezoldi, Hempelii, Koerneri, Burſcheri, Richteri in philoſophia, linguis et diſciplinis theologicis addiſcendis per triennium vſus, iam honeſtorum parentum liberis inſtituendis operam dat, atque pro concione dicendi exercitationibus muneri eccleſiaſtico ſe praeparat. Nuper cum nobis diſputatione *de loco Pauli 1 Cor. X. 9.* ſuum literarum ſtudium haud infelix, interpretandique N. T. facultatem probaſſet, Magiſterii dignitatem petenti annuere non dubitauimus.

IOANNES GODOFREDVS WESER.

Groſsthiemigii prope Haynam natus anno ſeculi huius LV, patrem habet Martinum, linteis contexendis mercenarium, matrem Eliſabetham Baderiam, iam rebus humanis ereptam. Hi cariſſimi parentes vt pauperrimi, corporis nullas, ita probiſſimi, animi ſummas diuitias in filium vnicum contulere. Prouida deinde Dei cura contigit, vt qui eo loco tum eſſet ſacrorum antiſtes, Krahmerus, A. M. nunc eccleſiae Sturzenſi prope Stolpam praepoſitus, domum ſuam eum reciperet, filii loco haberet atque ipſe educaret liberaliſſime. Idem eum religionis, ſcribendi, arithmetices, muſicorum praecepta,

atque

atque adeo, cum intelligeret, ipsum iam puerum discendarum meliorum literarum desiderio teneri, latinae et graecae linguae prima elementa docuit. Hic vir, quem tanquam alterum patrem colit, eum tanta etiamnunc munificentia persequitur, vt iusta verborum dignitate eam celebrare non possit, si vel maxime filii pietate animus eum amplectatur. Laetatur idem de fauore, quo vltro Stoeckhardus, A. M. tunc ibi diaconus, nunc Pastor, eiusque frater, Patronus caussarum apud Dresdenses, erga eum vsi sunt, nescius, qui dignas gratias iisdem persoluat. Ita iam literis atque beneficiis fotum, parentes agro colendo destinauerant; victi tamen auctoritate Krahmeri, concessere, vt hic eum scholae Haynensis crederet magistris, Creuselio, Schwarzio, Selichio et Oehmio, quorum in se erudiendo fidem atque insignem beneuolentiam, dum vita fruetur, gratissima mente recolere decreuit. Laudat etiam beneficia multa et magna Schubarthi, Theol. D. illius dioeceseos Ephori, Miri, Med. D. Kurzereyi veredariis publicis praefecti, Kircheri, scholae collaboratoris atque Iessingii, omniumque, qui sacra Haynensium curant, propensam in se voluntatem. Biennio fere ibi exacto, auctoribus Schubartho, Schwarzio et Krahmero, Budissense petiit gymnasium, vbi profecit ex institutione Demuthii, Kausendorfii, Petri, Fabri, Coberi, Rostii, quorum omnium, inprimis Coberi, humanitatem, fidem et beneuolentiam etiam hanc ob caussam gratissimo animo praedicat, quia eorum commendatione factum est, vt patronos nancisceretur Ciuitatis Budissensis Senatores Amplissimos, qui beneficiis, nominatim Maettigiano et Bergmanniano eum ita ornarunt ornantque, vt eorum liberalitatem verbis assequi non possit. Grata et pia mente veneratur etiam Prenzelium, istius vrbis Proto-Camerarium, qui innumeris liberalitatis documentis eum adhuc munificentissime cumulat, et cui tantum se debere ait, quantum nec patri filius; ad eum enim maxime refert, quicquid ipsi felicitatis inde a nouem annis contigit. Eiusdem eximia et plane paterna beneficentia, vt posset honores philosophicos ambire, factum esse, fatetur, et sanctissime spondet, se nunquam non Deum precaturum esse, vt omni felicitatis genere eius domum beet. Dignis etiam laudibus effert Richteri, Consulis, et Iacobaei, Pastoris Primarii, benignitatem, cui beneficium Bolberizianum et alia debet, Reutii quoque, Procu-

Procuratoris fisci, Hegii atque Caspari Henrici, Iureconsultorum memoriam ex animo se nunquam esse dimissurum, pollicetur. Nec immemor erit ciuis honesti Siebe, qui et hospitio et aliis beneficiis eum adiuuit. Quinquennio in hoc gymnasio exacto, Lipsiam concessit a. LXXV, Belio rectore. Hic Pezoldus philosophiam, Burscherus eiusdem historiam, Funccius mathesin, physicen et astrognosin ei tradidit. Profecit quoque ex Platneri lectionibus aestheticis et anthropologicis. Saxoniae, Imperii Germanici et rerumpublicarum Europaearum a Boehmio, catholicam et ecclesiasticam, nec non emendatorum sacrorum historiam ab Ernestio et Burschero accepit. Vt vero legitimam interpretandi rationem addisceret, eundem Ernestium de munere interpretis praecipientem, Morum in omnes fere N. T. libros commentantem, Hempelium, per quem et indolem linguae hebraicae cognouit, Dathium, cui etiam initia chaldaicae et syriacae linguae debet, Bosseccium et Koernerum, libros V. T. explicantes, audiuit. Religionis christianae dogmata vt accurate cognosceret, Koernerum, Ernestium atque Pezoldum adiit, eorumque scientiam, in horum doctorum scholis comparatam, Morus et Hebenstreitius institutis tentaminibus probarunt et auxerunt. Adsedit praeterea Ernestio, de symbolis ecclesiae nostrae differenti, Koernero, prudentiam pastoralem docenti, Sammetio, *ius naturae et gentium* et Hommelio, ius canonicum exponenti. Humaniores literas seuerius tractaturo profuerunt *Ernestii* lectiones, in quibus antiquitates Romanas et archaeologiam illustrabat, nec non Clodii et Mori scholae, cuius etiam exercitationibus latine dicendi et scribendi interfuit. Hopfio linguae italicae, Hempelio anglicanae aliquam facultatem debet. Quantos fructus ab omnibus praeceptoribus perceperit, grata mente agnoscit, inprimis tamen Boehmio et Moro tot tantisque beneficiis deuinctum se sentit, vt ne enumerandis quidem iis, multo minus pro dignitate laudandis parem se intelligat. Praeterea singularis beneuolentiae documenta sibi exhibita esse, fatetur, a Zollero et Koernero, qui beneficia academica in eum contulerunt; item ab Idio, sacrorum curatore ad D. Petri atque ab Andrea, A. M. scholae Thomanae praeceptore, quorum consiliis commendatione et re ita adiutus est, vt sentire magis gratias debitas, quam eloqui possit. Tandem Indulgentiam

Sere-

Sereniſſimi Electoris, quem etſi nunc demum nominat, primo tamen loco veneratur, in conferendo victus publici atque ſtipendii beneficio deuoto animo agnoſcit et celebrat. Neque haec beneficia in indignum eſſe collata, Ordo noſter cognouit ex eius diſſertatione *de diluuio particulari et vniuerſali ſimul*, ex qua eius elegantia ſcribendi, ſubtilitas philoſophandi, et facultas explicandae S. S. haud vulgaris elucet. Itaque ſummos in Philoſophia honores, praemium eruditionis, facile tulit.

IOANNES GOTTLIEB ROEHRER.

Eſt patris cognominis, olim templi ad arcem Cizenſem cuſtodis, ipſi cariſſimi, quoad vixit, nunc deſideratiſſimi, ex Suſanna Magdalena gentis Scherffiae filius. Hi parentes, quorum in ſe educando diligentiam ſe non ſatis praedicare poſſe, fatetur, eum inde a tenerrima aetate tradiderunt optimis praeceptoribus, inprimis Carolo Godofredo Schochio, Eccleſiae Groſsienenſis nunc Paſtori, a quo omnium literarum initiis recte eruditus, tranſiit in ſcholam Cizenſem, in qua optimorum Patronorum munificentia largiter enutritus, per octo fere annos pependit ab ore magiſtrorum fideliſſimorum et doctiſſimorum, Hentzſchii, Milkii, Schregeri, Gelbrichtii et Thiemii, quibus omnibus gratias agit habetque, quas poteſt, maximas. Iam anno LXXV, rectore Plazio, academiae Lipſienſi nomen dedit, anno autem proxime ſequente Lipſiam quaſi in literarum mercatum ſe contulit. Hic ſtudiorum rationem hanc iniit, vt in philoſophicis Seidlitium, Platnerum, Pezoldum, Hebenſtreitium et Wielandium, in mathematicis Funccium et Gehlerum, in hiſtoricis Boehmium, Wenkium et Erneſtium, eundem in archaeologicis et antiquitatibus Rom. in hebraicis Dathium et Boſſeccium, in iure canonico addiſcendo Hommelium, in graecis et latinis ſcriptoribus, tam

diuinis,

diuinis, quam humanis explicandis, Belium, Morum, Reizium, Erneſtium iuniorem, Clodium, Wolfium et Eccium ſequeretur. Frequentauit etiam ſcholas hermeneuticas, diſputatorias, examinatorias, homileticas et omnino theologicas Koerneri, Richteri, Hebenſtreitii, Forbigeri, Schwarzii, cuius inprimis laudat inſtitutionem tam publicam, quam priuatam ſibi fructuoſiſſimam, ſingularemque erga ſe beneuolentiam et in ſe adiuuando diligentiam, et liberalitatem, cui tantum ſe debere, ingenue profitetur, vt eam maximis, quae ipſi contigerint, beneficiis accenſendam, ipſumque patris loco colendum exiſtimet. Cum vero ſtadium academicum per tres annos amplius decurriſſet, Groſsienam euocatus eſt in domum Viri Generoſiſſimi de Herda; illiusque liberis inſtituendis et regendis praefectus, beneficiis inſignibus fouetur, quae nunquam animo eius grato excident. Nuper Ordinem meum adiit, publico doctrinae teſtimonio ornari cupiens. Idque, per me collata illi Magiſterii dignitate, ei ſtatim exhibitum eſt, quem illud mereri, ex diſputatione eleganti et ſubtili *de diluuio vniuerſali*, cui variae eruditionis documenta inſunt, perſpeximus.